

Badische Landesbibliothek Karlsruhe

Digitale Sammlung der Badischen Landesbibliothek Karlsruhe

**Meditationum evangelicarum pars secunda, hoc est:
Solida, ad descendam & exercendam, ex evangeliis tam
dominicalibus quam festivalibus Christi & sui-ipsius
notitiam, informatio**

Creide, Hartmann

Francofurti ad Moenum, 1682

Exegesis

[urn:nbn:de:bsz:31-126164](#)

I. Αὐθεντολογια, sive notitiam nostri.

II. Χριστογνωσια, sive notitiam Christi.

J. J.

Exegetis.

Sicut Servator noster pientissimus Mariae Magdalena in formâ hortulani apparuerat, Joh. 20. v. 15. eoq; indicavit, se venisse, ut exhortis carnalium voluptatum, quos Diabolus in mundo passim plantavit, ad se nos aliceret, inq; hortum suum reverteremur, & pretiosos fructus, quos per resurrectionem suam acquisivit, comedere remus, Cant. 9. v. 16.

Sicut etiam discipulis Emaunticis in Viatoriis formâ apparuit, ut doceret nos, quod in hoc mundo civitatem permanentem non habeamus, sed futuram studiosè inquirere debeamus, Hebr. 13. 14.

Sic in presenti Evangelio auditus, quod ut pastorem nobis commendatum ovicula obsequentes sequi debeamus, si velimus in ovili ecclesiâ, hîc temporaliter alendi & defendendi, tandem aliquando, in ovile eternæ securitatis introduci, idèo ipse ait: Oves meæ vocem meam audiunt, & ego cognosco eas, & sequuntur me, Joh. 10. 27.

Notitiam vero nostri hinc discere possumus, si intuemur:

I. *Pastoris titulum*, ait enim Servator: Ego sum Pastor ille bonus. Est hoc nomen vile & despectum: quod si ratione nostrâ metiri velimus, magis Christum autoritati suæ consuluisse, videri posset, quia cum adversariis suis infensissimis rem habebat, si nomine hoc omisso, titulo Regis Regum, vel filii Dei vivi, vel ducis vita, vel simili usus fuisset, quod ex re & vero facere potuisset. Pecorum enim pastores, semper despici, & in terra pretio in mundo

fuerunt. Ægyptii detestabantur omnes pastores ovium, Gen. 46. v. ult. In pari contemtu apud alios quoque fuerunt. Sed eodem modo hîc se reshabet, ut alias Deus loquitur, Esa. 55. v. 8. 9.

Ex hâc enim causâ, quod Christo cura Scribis & Pharisæis negotium intercedebat, qui se solos pastores profitebantur, & clavem scientiæ sibi arrogabant, Luc. 11. v. 52. Christus ipsis sece opponit, ait: ἐγώ εἰμι ὁ ποιητὴ τὸ καθόλον, Ego sum pastor ille bonus, quem Deus populo suo promisit, sicut id ipsum in capite X. Johannis multis egregiis argumentis probat & confirmat.

Hic probet se unusquisq;, an etiam in functione & vocatione illa, in qua à Deo collocatus est, cum Christo vere dicere possit, Ego sum pastor bonus.

Triplices enim dantur pastores: 1. *Pastores in campo*. 2. *Pastores in foro*, & 3. *Pastores in choro*. Quilibet pars haber regulas præscriptas, juxta quas incedere debet, impensis vero ad exemplum Christi fideles se exhibeant, ut dicere possint: Ego sum pastor bonus.

Pastores in Campo sunt, qui ex re pecuariâ victum sibi acquirunt, & aut proprias pecudes habent, sicut Abel, Gen. 4. v. 2. aut mercedem merentur apud alios, uti Jacob, Gen. 30. v. 32. Hoc vitæ genus est honestissimum & antiquissimum, quod S. Patriarchæ, multiq; alii summi viri professi sunt, Gen. 47. v. 3.

Licet autem hi *Pastores in mundo* parvi aestimantur, attamen Deus peculiariter eos prætulit, ut non modò apparuerit iisdem, sicut Jacobo & Mosi factum est, Genes. 31. v. 3. cap. 32. v. 29. Exod. 3. v. 2. sed etiam à caulis ad aulam evexerit, uti Davidem, 2. Sam. 16. v. 11. vel etiam à boum

gregem ad munus Propheticum vocaverit, ut Amosum, cap. 1. v. 1. c. 7. v. 14.

Qui in hac conditione vivunt, reputent secum, se Deo æque atq[ue] nobiles hujus mundi placere, modo operam navent, ut si-
deles sint, Prov. 27. v. 23. 26.

Deinde dantur *pastores in foro*, hi sunt Imperatores, Reges, Principes, Comites, & in genere omnes, qui Magistratus munere funguntur, quibus non oves aut boves, sed hominum corpora aut fortuna-
nas concredit Deus, ut justitiam exer-
centes malum puniant, & bonum remunerent, unde expressè Pastores illi appelle-
lantur, Numer. 27. v. 17. Esa. 44. v. 28.
Amos 1. v. 2. Mich. 5. v. 4. Zach. 10. v. 2.
attamen probè meminerint, non se po-
testatem à scipis habere, sed à Deo, uti
Josephus Pro-Rex Ægypti fatetur, Gen.
50. v. 19. In exigendis quoque tributis
modum excedere non debent, uti Rhaba-
beam, 1. Reg. 12. v. 14. *Boni enim Pasto-
ris est, tondere pecus, sed non deglubere,*
ut Imperator Tiberius ait. Alexander quo-
que M. consiliarius, qui tributum gravio-
rem civitatibus imponendum censébant,
respondit: *Et olitorem odis, qui radicibus
herbas evellit.* Si igitur Ethnici adeò reli-
giose fuerunt, multò magis Christiano ma-
gistratui id convenit, Panis egentium vita
pauperum est, qui defraudat illum, homo
sanguinis est, Sir. 34. v. 25.

Tertiò dantur *pastores in Choro*, quia lias
Pastores animarum dicuntur, hi sunt verbi
ministri, & Ecclesiæ doctores, quibus
Christus gregem suum pascendum con-
cedidit, quem proprio sanguine acquisi-
vit, Act. 20. v. 28. Unde & ipsi Pastores
vocantur, Eph. 4. v. 11. qui à Principe Pa-
storum Christo dependent, dante ipsos

ecclesiæ juxta cor suum, ut pascant eam
scientiâ & doctrinâ, Jerem. 3. v. 15. Id-
cò quemlibet eorum adhuc hodiè, ut
Petrum olim compellat, *Pasce agnos
meos, pasce oves meas*, Johan. 21. vers.
15. 16.

Qui itaque genuinus animarum pa-
stor esse vult, exactè perpendat, non bo-
ves aut siues, sed homines sibi concreditos
esse, quorum anima pretiosè à Christo re-
demta sunt, hos sine personarum respe-
ctu fideliter pascat, 1. Petr. 5. v. 2. quia
Deus sanguinem eorum de hujus manu
requirit, Ezech. 3. v. 18.

Quodsi itaque unusquisque in vocatio-
ne suâ se fidelcm exhibet, præmium non
decerit, sed certissimè sequetur die novissi-
mo, ubi ex ore Christi audient: *Euge serve
bone*, Matth. 25. v. 21.

II. *Mercenariorum ingenium*, hos sic
describit Christus: Mercenarius autem,
& qui non est pastor, cujus non sunt o-
ves propriæ, videt lupum venientem,
& dimittit oves, & fugit, quia mercena-
rius est, & non pertinet ad eum de o-
ibus.

Mercenarius propriè est, qui mercede
conducitur, eo fine, ut laborem fideliter ex-
antlet: quia verò his hominibus familiare
est, ut ad oculum modò serviant, Ephes. 6.
v. 6. ideò hoc titulo omnes illi intelliguntur,
qui in functione, quam Dei be-
neficio adiunxit, suum duntaxat emolumentum & honorem, non verò Dei
honorem, & ecclesiæ commodum respi-
ciunt, hi illi sunt, quorum Deus venter est,
& gloria in confusione ipsorum, qui ter-
rena saplunt, Phil. 3. v. 19.

*Hic examines, velim, te, annon & ipse
non-*

nonnunquam in mercenariorum numero fueris?

Horum non paucisunt, in omnibus statibus.

Mercenarii enim sunt

1. *Avari*, qui, quæ sua sunt, duntaxat, querunt, non quæ sunt Iesu Christi, Phil. 2. v. 21. In omnibus rebus sanctus denarius ferè dominatur, plurimus auro venit honos. Pecunia causâ Judas Dominum & magistrum suum prodidit, Matth. 26. v. 15. Pecunia causâ custodes sepulchri Christi, conscientiam suam vulnerarunt, dicentes, discipulos Christi corpus ejus abstulisse, ut edocti erant; Matth. 28. v. 15. Propter pecuniam multi deliquerunt, & qui querit locupletari, avertit oculum suum, Sir. 27. v. 1. Sed qualem Denarius hicce inscriptionem habet? In unâ parte habet imaginem Gehasi, cum hâc inscriptione: *Lepra Nae-man adhæredit tibi, & semini tuo in seculum.* Ex alterâ gerit simulacrum Simonis Magi, cum hoc titulo: *Pecunia tecum pereat.* Ic- circò genuini Christiani fugere hoc vitium, & cõ respicere debent, ut omnia faciant in gloriam Dei, 1. Cor. 10. v. 31.

2. *Ignavi*, qui imenus negligunt, velut fruges tantum consumere nati. De his Deus ipse conqueritur, Ezech. 34. v. 3. 4.

Eiusmodi Mercenarii erant tempore Amos, qui bibentes vinum in phialis, & optimo unguento delibuti, nihil patiebantur super contritione Joseph, Amos 6. v. 6. Sic in statu politico pauci inveniuntur hodie, qui cum Potipharo omnia quæ habent, relinquunt in manu Joseph, nec quicquam aliud norunt, nisi paneim, quo vescuntur, Gen. 39. v. 6.

Sed maledictus, qui facit opus Domini remisè, Jer. 48. v. 20.

3. *Timidi*, qui dum ecclesia tranquilla est, munere quidem suo funguntur, at persecutione ingruente auffugiunt, non perpendentes verba Christi, qui inventit animam suam, perdet eam, Matth. 10. vers. 39.

4. *Parasiti*, qui ad placitum loqui amant, & neminem ad iram provocare volunt, quales plerumque sunt Aulici, nec pauci Pastorum, unde canes muti illi appellantur, Esa. 56. vers. 10. Sed talionis poena ipsos manet, ut in adventu Christi obmutescentes ligatis pedibus & manibus mittendi sunt in tenebras exteriores, ubi fletus, & stridor dentium, Matth. 22. vers. 13.

5. *Tepidi*, qui Thesin tantummodo trahant, sed antithesin omittunt, fallam hereticorum doctrinam non attingentes, neque refutantes, contra expressum præceptum Pauli, Tit. 1. v. 9. Ex quo grave periculum tam Pastoribus illis, quam Auditoribus imminet.

Videte dilecti! hi sunt mercenarii, quos Christus in Evangelio nostro perstringit. Quodsi itaque quilibet se examinabit, facile deprehendet, ad quam classem referendus sit. Optimum est, ut is, qui haec tenus ex imbecillitate deliquerit, nec officio suo satisfecit, ad frugem redeat, nam

Si pœnitet, haud nocet error.

Si impius egerit pœnitentiam, vita vivet & non morietur, Ezech. 18. v. 21.

III. *Ovicularum proprium*, de quo ita Christus: Ego sum pastor bonus, & cognosco meas, & cognoscunt me meæ. Sic ut novit me pater, & ego agnosco patrem, & animam meam pono pro ovibus.

Quod non intelligendum est de ovibus irrationalibus, et si enim ejus sunt

omnes feræ sylvarum , jumenta in montibus, & boves in ille , Psal. 50. v. 10. attamen peculiarem gregem habet inter homines, quos sanguine suo emit, & per verbum & sacramenta sanctificavit , hi sunt ovicula, quas speciatim novit , quas nomine vocat, ut nemo easdem separare possit à caritate suâ, Rom. 8.v.38.39.

Hic velim scruteris, an & tu ad oviculas Christi pertineas?

Magna hic curâ opus ! Christus enim aliquando segregaturus est oves ab hædis, & statuet oves à dextris suis, hædos autem à sinistris, Matth. 25 v.32. seqq.

Ovis agnoscit vocem pastoris sui, & sequitur eum. Ita quicunque Christi oviculis se adnumerari cupit, ejus vocem, quam in scriptis Mosis & Prophetarum adhuc hodiè tradit, audire & sequi debet, hic est filius meus dilectus, hunc audite, ait ipse pater cœlestis, Matth. 17.v.15.

Ovis ruminat, quâ de causâ inter anima- lia munda, relata est, Levit. 11.v.3. Sic etiam verus Christianus ruminare, h. c. repeteret debet, quod in Ecclesiâ ex ore pastoris audiuit, ne sit auditor, sed factor verbi, Jac. 1. v.22. Psalm. 1.v.2.

Ovis, si erravit, tamdiu balat, dum à Pa- store ad gregem reducatur: Sic ovicula Christi sine intermissione balant, Erravi, sicut ovis, quæ periit, quæ servum tuum, Psal. 119.v.ult. Jer. 31. v.18.

Ovis est animal possessori suo maximamente: Sic & Christianus dono suo in alterius commodum utidebet, 1.Petr. 3.v.10.1.Cor. 9.v.7.

Ovis est animal patiens, Esa. 53. v. 7. Sic & Christiani patientiam exercere debent, cum Michâ dicentes: Iram Domini portabo, Mich. 7.v.9.

Ovis est animal pacificum. Sic & ovicula Christi inquire pacem, & eam persequi debent, Pt. 34. v. 15. Hoc est judicium oviculorum Christi, Joh. 13.v.15.

Hic itaque probes, mi Christiane ! Et si haec tunc ejusmodi ovicula non fuisti, sed vel canis mordax, qui reversus est ad vomitum suum; vel sus lota in volutabro luti, 2. Pet. 2.v.ult. revertere ad ovile Christi, extra quod non est salus: sicut omnia quæ extra aream Noæ erant , aquis diluvii peribant, Gen. 7.v.21.

In Bœtiâ fluvii duo inter se contrarii sunt, quorum alter, oves albas nigras, alter nigras candidas reddit. Quodsi & tu forte in Diaboli balneo fuisti, & nigredine peccatorum infectus es: agnosce criminata tua, & ora cum Davide: Miserere mei Deus, Psal. 51. v. 1. Et peccata tua, quifuerunt ut coccinum, quasi nix dealbabuntur, & si fuerint rubra, quasi vermiculus, velut lana alba erunt, Esa. 1.v.18.

De Secundo.

PERGEMUS NUNC AD ALTERAM PARTEM, XE-
COS RIASIAV, FIVE NOTITIAM DOMINI NOSTRI
JESU CHRISTI CONTEMPLATURI. HIC NOBIS PRO-
PONITUR IN HOC EVANGELIO.

1. *Tanquam bonus pastor, qualcm seipsū nominat, eoq; respicit vaticinia Prophetarum, qui omnes Auditores suos ad hunc pa- storem remiserunt, ut Scribæ & Pharisa hinc colligerent, sc & non aliū eundem esse, de quo David & ceteri Prophetæ prædixerunt, Psal. 23. v.1. Ezech. 24. v. 23. Esa. 40. v. 11. Ezech. 34. v. 26.*

Est autem Christus pastor ille bonus.

1. *Ratione Dignitatis.* Licet enim Jacob, Moses, David, & alii pastores non contempnendi fuerint, ut supra diximus, atta-